

ex Virgine, ut partus ejus celaretur diabolus; si enim ipse id rescivisset, omnibus nervis impedire satagisset.

Hinc et viri pii ac solertes sua pia proposita, quoad possunt celant, etiam diabolus; ac tacite in mente cum Deo deliberant, illicoque quod concluderunt exsequuntur, antequam diabolus id rescire vel impedire queat. Atque experientia docet illa optime succedere; secus autem, si scilicet diu deliberes, signis prodas, evulges, diabolo resistente, mille inveniēs contradictiones, mille obices et difficultates, quas vix superabis. Tanti est secretum ad rem, praesertim arduam conficiendam. Hinc Festus consilium a sileo et silendo derivat, ut consilium idem sit quod cum silentio peragendum. Ita Metellus, rogatus quidnam facturus esset post domitos Macedones, respondit: « Tunicam meam exuerem, » imo exuererem, « si eam consilii mei consciam putarem. » Ita Plutarchus in *Apophthegmat. Romanis*. Et Antigonus rex rogatus a filio quando castra esset moturus: « Quid, inquit, metuis, ne solus tu non audias tubam? » Vox utique rege digna: ei arcnum non credidit, cui post mortem crediturus erat regnum. Ita Plutarchus, lib. *De Garrulit.* Hujus rei symbolo Gentiles Palladem, quæ est dea sapientiæ, dicebant inimicissimam esse cornici, eamque cornices comprimere, ac cornices nunquam ad ejus arcem advolare, ut significarent sapientiam inimicissimam esse garrulitati, cujus symbolum est cornix, utpote loquax et garrula. Ita Natalis Comes, cap. v, lib. IV *Mytholog.* Sapienter Q. Curtius, lib. IV *De Vita Alexandri*: « Res, inquit, magnæ sustineri ab eo non possunt, cui tacere grave est. » Quin et Persarum consiliarii, teste Ammiano lib. XII, silentium velut numen colebant. Romani vero silentii senatusconsulti violatores morte plecebant. Quocirca Pompeius, ait Valerius Maximus lib. III, cap. III, « dum legationis officio fungeretur, a Gentio rege interceptus, cum senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia regi simul, et desperationem tormentis quidquam ex se cognoscendi excussit, et expetendæ populi Romani amicitiae magnam cupiditatem ingeneravit. »

Alludit ad *Proverb.* xxv, 9: « Causam tuam tracta cum amico, et secretum extraneo non reveles, ne forte insultet tibi, cum audierit, et exprobrare non cesset. » *Extraneum*, græce ἀλλότριον, id est, alienum, abhorrentem: externum quemlibet accipe, sed maxime fide et religione a te tuaque gente dissidentem, quales Judæis erant Gentiles; hi enim in Scriptura vocantur בני נכר bene nechar, id est filii alieni, ἰ genitivo: alieni scilicet Dei, quia deum alienum colunt, quos Septuaginta vocant ἀλλοτριούς, vel ἀλλογενείς, id est alienigenas, vel ἀλλοφύλους, id est allophylos, hoc est alienæ familiæ, puta Gentilis, quales fuere Philisthæi, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, etc. Hi enim, utpote Gentiles,

Judæis, quasi peregrini cultus et propriæ sectæ hominibus, erant infensi: Judæi vicissim eos, quasi idololatrias, suosque æmulos et hostes adversabantur. Talibus ergo tamque infensis non erat tutum revelare secreta sua consilia. Unde Rabanus mystice per extraneos accipit hæreticos, quos Apostolus plane vitandos fidelibus esse monet, ad Titum, III, 10.

22. NON OMNI HOMINI COR TUUM MANIFESTES, NE FORTE INFERAT (Tigurina, referat) TIBI GRATIAM FALSAM, ET CONVICIETUR TIBI. — Gratiam falsam vocat benevolentiam fictam, q. d. Noli cuiuslibet candide animum tuum aperire, ne forte audiens candori huic tuo non respondeat, sed referat gratiam falsam, qua fingat se tibi fidum et benevolum, ut plura tuæ mentis secreta expiscetur, e quibus tuas animi ægritudines ipse perspiciat, ob easque te rideat, tibi que convicietur. Vel gratiam falsam vocat malam, q. d. Pro bona gratia tua, qua ei fideliter et fidenter aperis credisque tua arcana, rependet tibi malam gratiam, puta convicium. rō falsam jam non est in Græco, nec Syro; est tamen in Complut. Syrus sic habet, ne omni homini reveles quod est in corde tuo, ne condemnet te gratia. Gratia enim, si loqui posset, condemnaret te, quod gratiam illam candidæ revelationis tuæ insulso et ingrato conviciatori præstiteris, itaque illam quasi dehonesteris, et velut virginem adultero prostitueris. Unde Græca habent, et non referat tibi gratiam, sed pro gratia reponat contumeliam. Huc facit proverbium Arabicum, *Centuria* 2, num. 54: « Arcanum tuum de sanguine tuo est; sæpe aperuisti illud, et est causa mortis tuæ; » et *Centur.* 4, num. 7: « Ne deambula nudus per plateas, » id est, ne aperias secretum tuum coram hominibus, ne subsappna te. « Verba fac nocte, ubi non est avis nocturna, » id est, ocella arcnum tuum, et dignitatem tuam a turba idiotarum et stultorum. Et illud Epicharmi: « Sobrius esto, et memineris diffidere. » Nam, ut ait Theognis:

Fiso res periit, diffiso salva remansit.
Paucis e multis fidus adest animus.

Hoc est quod audivimus cap. VI, 6: « Consiliarius sit tibi unus de mille. »

Moraliter, hic discere quam caute servanda sint cordis arcana, quamque turpe et periculosum sit ea expiscari. Hæc enim insignis est curiositas quæ curiosum in magnas redigit angustias. Facilius enim est compescere curiositatem expiscandi secretum, quam ubi expiscatus fueris, illud tacendi. Imo, qui curiosi sunt ad expiscandum, curiosiores sunt ad propalandum: pruriunt enim ad revelandum secreta quæ norunt, ut scientiam suam venditent. Adde, esto crimen proditiōnis, non tamen suspicionem evadent; si enim res emanet, vehemens erit suspicio ipsos, utpote solos secreti conscios, illud evulgasse. Quocirca Philippiades poeta regi Lysimacho percharus, rogatus ab eo: « Quid vis tibi impertiam rerum

meorum? Quodeumque voles, inquit, modo ne arcani quippiam. » Et Aristoteles, rogatus quis secretum cognitum servare posset, respondit: « Qui carbonem ignitum lingua continere poterit. » Ita Antonius in *Melissa*, part. I, serm. 72; nam, ut dicitur *Proverb.* xvi, 27: « In labiis ejus ignis ardescit; » Septuaginta, ignem condit. Sic Dalila expiscata secretum fortitudinis Samsonis, illud prodidit, et maritum perdidit, *Judic.* xvi. Gellius, lib. I, cap. xxiii, memorat Romanos senatores adeo celebrasse silentium Papyrii pueri, qui secretum senatus matri, non tantum verbis, sed et verberibus illud exigenti, prodere noluerat, ut ei inter pueros soli aditum in curiam concesserint, eique Prætextati cognomen honoris causa indiderint, ob tacendi loquendique in ætate prætextata prudentiam. Denique Plutarchus in *Moral.* hoc remedium exquirendi fidem alicujus in servando secreto, suggerit: « Ut vas, inquit, experiamur, non vinum infundimus, sed aquam; si enim depereat, parum refert. Sic frivolum quiddam committendum amicis, quo silentii fidem experiamur, ut si effutiant, nihil sit periculi. »

Sane S. Ambrosius ita sancte servabat secretum

sibi commissum, ut illud ne quidem cum Satyro fratre sibi carissimo communicaret, uti ipse refert in ejus obitu, causamque addit, dicens: « Erat enim fidele indicium, extraneo non esse proditum, quod non esset cum fratre collatum. » Unde ipse in illud *Psal.* xl, *Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum*: « Aptus versiculus, inquit, adversus eos qui secretum alicujus produnt. Pulchre ait: Egrediebatur foras. Foris enim lupi, foris prædones: intus Moyses in nube cum Jesu. Foris Judæi: intus Zacharias sacerdos in templo. Foris multitudo: intus Spiritus Sanctus in cordibus nostris clamat: Abba pater. Foris adversarius noster, sicut leo pervigilat ad rapinam. Foris infideles: intus fideles. Et ideo eos, qui foris sunt judicabit Deus; eos autem qui intus sunt, Christus absolvit. Egrediebatur igitur Judas, et loquebatur. Egrediebatur de fide, egrediebatur de concilio et numero Apostolorum. Egrediebatur de convivio Christi ad latrocinium diaboli. Egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis, qui vana ad perfidos loquebatur. Egrediebatur foras, qui vitæ internæ mysteria relinquebat. »

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Agit de iis quæ vitanda sunt in feminis, ac de periculo quod est in earum aspectu, colloquio et consortio, usque ad vers. 14. Inde usque ad finem agit de iis quæ vitanda sunt in viris, docetque vitandos esse amicos novos, homines potentes, qui habent jus necis et vitæ, injustos, linguosos et temerarios.

1. Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam.
2. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris.
3. Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius.
4. Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.
5. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.
6. Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hæreditatem tuam.
7. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius.
8. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam.
9. Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.
10. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi steruus in via conculcabitur.
11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.
12. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum: 13. et non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem.
14. Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi.
15. Vinum novum, amicus novus: veterascet, et cum suavitate bibes illud.
16. Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio.
17. Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius.
18. Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi, et non suspicaberis timorem mortis.
19. Et si

accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam. 20. Communionem mortis scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris, et super dolentium arma ambulabis. 21. Secundum virtutem tuam cave te a proximo tuo, et curæ sapientibus et prudentibus tracta. 22. Viri justi sint tibi convivæ, et in timore Dei sit tibi gloriatio. 23. Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi. 24. In manu artificum opera laudabuntur, et princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu vero seniorum verbum. 25. Terribilis est in civitate sua homo linguosus: et temerarius in verbo suo odibilis erit.

PRIMA PARS CAPITIS.

DE HIS QUÆ IN MULIERIBUS VITANDA SUNT.

1. NON ZELES MULIEREM SINUS TUI, — *q. d.* Ne sis zelotypus uxoris tuæ, quæ in sinu tuo requiescit, et male de ea suspicans, quod scilicet alium virum amet magis quam te, aut alius rivalis tuus eam amet et insequatur. Tigurina, *uxorem quam complecteris, ne prosequaris zelotypia.* Zelotypia ingens est conjugii morbus et malum. « Zelotypia, ait Cicero *Tuscul.* IV, est ægritudo, ex eo quod alter quoque potiat (vel potiri putetur) eo, quod ipse concupiverit; » vel (ut Chrysippus), « est ægritudo animi ex eo proveniens, quod timeat ne adsit alteri, quod cum nemine velit habere commune. » Quæ inter conjuges suspicionum, rixarum, cædium omniumque malorum est causa, uti docet Tiraquellus, leg. XIII *Connubial.* num. 28. et seq., et leg. I *Connub.* cap. 1 et seq. Quin et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*: « Quid, ait, prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? infida enim custos castitatis est necessitas; et illa vere pudica est, cui licuit peccare, si voluit. » Porro *mulier sinus* vocatur, quæ in sinu mariti cubat et requiescit, non tantum cum dormit, sive per diem, sive per noctem in thalamo nuptiali; sed etiam cum prandet et cœnat. Olim in mensa discumbentibus, id est cubabant in toris sive lectulis mensalibus, in singulis bini vel terni: ita ut in summo cubaret frater vel amicus, in medio maritus aut parens, in imo uxor et liberi, qui proinde recumbentibus in mariti vel parentis sinu. Ita Plutarchus, lib. I *Sympos.*, Quæst. III: « Locus, inquit, infra eum (medium) uxoris est aut liberorum: qui supra est, ut par est, tribuitur convivium honoratissimo. » Quocirca Titus Livius, lib. XXXIX, carpit T. Flaminium consulem quod meretricem in convivio in loco uxoris collocasset. Sic *Deut.* XIII, 6, dicitur: « Uxor quæ est in sinu tuo; » et cap. XXVIII, 34: « Invidet uxori quæ cubat in sinu tuo. » *Michææ* VII, 5: « Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. » Igitur epithetum proprium uxoris est, requiescere in sinu mariti. Ita Delrio *Adagio* 125.

NE OSTENDAT SUPER TE MALITIAM DOCTRINÆ NEQUAM, — ne scilicet te decipiat, veneno perimat, aliterve noceat, aut saltem odiat, vel minus amet, et ad alios viros affectum transferat. Nam *doctrina nequam* sive perversa est, qua vetulæ perversæ, vel etiam veneficæ, docent uxores juvenulas improbas artes, quibus maritum zelotypum fallant aut perimant, aliterve ei noceant. Unde Syrus, *ne discat contra te astutiam malam*; Græce est, *ne doceas in te doctrinam nequam*; Tigurina sive Vatablus, *ne eam malam in te artem doceas*, primo, tua zelotypia in impellendo ad malas artes jam dictas; secundo, *q. d.* Ne tua zelotypia doceas eam simili modo esse zelotypam; zelotypia enim instar scabiei sese aliis affricat, et affricando contrahitur: cum enim uxor sentit se suspectam esse marito de adulterio, vicissim ipsum incipit habere suspectum, ne scilicet ipse ob suspicionem quam contra se habet, ad alias declinet; tertio, plane et simpliciter, *q. d.* Noli nimis amare et zelari uxorem tuam, noli nimis arete et anxie eam custodire, ne doceas eam adulterari, ne scilicet ipsa adversum te faciat, quod videt te de se timere vel suspicari: tum quia continua suspicio adulterii, continuam ejus imaginationem, indeque concupiscentiam suscitatur; tum quia, quæ nimis arete videt se custodiri, ex impatientia foras erumpit, ut in libertatem se vindicet; tum quia mulierum indoles est curiosa et pertinax, ac illud quod sibi adeo vetari conspicit, maxime videre et experiri concupiscit, juxta illud:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata

Vere Seneca: « Quidam, inquit, fallere docuerunt, dum timent falli, et illius peccati suscipiendo occasionem præbuerunt. » Et diserte Ovidius, lib. III *De Art.*, eleg. 4:

Desine, crede mihi, vitia irritare vetando:

Obsequio vinces aptius ipse tuo.

Vidi ego nuper equum contra sua frenam tenacem,

Ore reluctanti fulminis ire modo;

Constitit, ut primum concessas sensit habenas,
Frenaque in effusas laxa jacere jubas.

Quocirca sapienter S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. IV: « Disce, inquit, mulier, zelum deponere, qui sæpe mulieres in furorem incitat. » Mulier enim, quia minoris judicii, et cupida, magis suspicionibus et zelotypiæ est obnoxia, quæ nisi refrenentur, adeo increseunt, ut eas demerent, et in furorem agant. Prudenter et Seneca in *Proserpina*: « Zelum, inquit, de Deo tantum habeas, non contra homines; zelari autem hominibus vitiosum est. »

Porro, quam damnosa et funesta sit zelotypia discere ab exemplis: Clytemnestra zelotypa fuit Agamemnonis regis sui mariti, suspicando eum adamare Chryseidem, ideoque ipsum occidit. Arsinoe occidit Demetrium, putans ab eo diligi Berenicen. Cleopatra occidit Nicatorum ob zelum Rhodogynæ, quæ erat soror Phraatis regis, ut tradit Appianus in *Syriaco*. Apollonius Rhodius, lib. I *Argonauticon*, scribit Lemnias mulieres zelotypia incensas, quod mariti captivas mulieres adamarent, maritos suos omnes dormientes, et insuper universum genus masculinum obtruncasse. Medea suspicans virum suum alias adamare, ut se de eo ulcisceretur, proprias proles, quas ex eo susceperat, occidit, de quo Ovidius, lib. I *De Art.*:

Nec dolor armasset contra sua viscera matrem,
Quæ socii damno sanguinis ulta virum est.

Sapiens zelotypiæ remedium dat Aristoteles lib. I *OEconom.* cap. IV: « Primum, inquit, leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset: sic nec ipse injuriam patietur; » et lib. II, cap. II: « Maximus honor, ait, est sobriæ mulieri, si cernat virum suum observantem sibi castitatem, nec de ulla muliere magis cogitantem, sed præ cæteris omnibus hanc et suam, et fidelem sibi existimantem. Tanto enim magis studebit mulier se talem præstare, quanto magis se cognoverit fideliter ac juste a viro diligi. » Et Lactantius, lib. VI *De Vera religione*: « Exemplo continentiæ, ait, docenda est uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut exigas, quod ipse præstare non possis. » Hoc est quod ex S. Augustino dicitur cap. *Si dicturi*, 32, *Quæst.* VI, ut quales volumus uxores nostras invenire, tales et ipsæ nos inveniant. Frustra enim petit debitum, qui, quod debet non impendit: qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. Dicit enim uxor marito: Cur ego te colam ut maritum, cum tu non me colas ut uxorem? juxta illud Domitii apud S. Hieronymum *ad Nepotianam*: « Cur ego te habeam ut principem, cum tu non me habeas ut senatorem? » Et illud Ciceronis, *Philipp.* 2: « Non tractabo ut consulem, ne ille quidem me ut consularem. »

Denique Alfonsus Aragonum rex, teste Panormitano in ejus Vita, zelotypiæ remedium ad vitam in conjugio tranquille transigendam hoc dabat:

« Sit uxor cæca, maritus autem surdus fiat. » Uxor enim oculata, videns maritum cum aliis feminis, etiam negotiorum causa, agere, sit zelotypa; inde querimoniam et rixam. Rursus marito molesta est uxoris garrulitas, qua molestia carebit, si fiat surdus.

2. NON DES MULIERI POTESTATEM ANIMÆ TUÆ, NE INGREDIATUR IN VIRTUTEM TUAM (ita Romana; non, in virtute tua, uti legunt alii), ET CONFUNDARIS. — Græce, *non des mulieri animam tuam, ne ascendat ipsa super te*, id est, animam tuam. Ita Complut., sed Romana legunt *te*, id est super virtutem tuam, hoc est, super vires tuas, vel super fortitudinem tuam, ut occupet arcem animæ tuæ. Est metaphora a militibus, qui ascendunt muros, itaque capiunt urbem, vel arcem, quam Itali vocant *la fortezza*. Sensus est, *q. d.* Ne permittas uxorem « potestatem, » id est dominium, exercere, ut, scilicet, ipsa dominetur et imperet « animæ tuæ, » hoc est, tuæ voluntati et tibi ipsi; « ne » ipsa « ingrediatur in virtutem tuam, » ut, scilicet, tuum jus, auctoritatem et imperium maritale sibi usurpet, teque sibi subjiciat, cui ipsa jure naturæ, divino et humano debet esse subdita; hoc enim tibi pudori erit, cum audies effeminatus, æque ac servituti et damno; mulier enim, cum passionibus agatur, et impotentis sit animi, impotenter tibi dominabitur. Unde clare veritatis Vatablus, *ne permittas animam tuam mulieri, adeo ut pessumdet potestatem tuam, tuque dedecus incurras*; alii, *ne dederis mulieri animam tuam, ut transcendat ipsa vires tuas, ut fiat te potentior et imperiosior*; alii, *ne ascendat ipsa super animam tuam, teque sibi penitus subjiciat*; Syrus, *ne dederis mulieri animam tuam*; vel, *ne committas mulieri te ipsum* (hoc enim Syri vocant, *animam tuam*), ut dominetur ipsa supra omne quod habes. Hæc viri permissio oritur, vel ex animi pusillanimitate, vilitate et abjectione; vel ex nimio uxoris amore, quo omnia ei indulget, eique se ipsum committit et permittit; vel quod uxor viro sit nobilior, ditior, potentior. Audi S. Hieronymum lib. I *Contra Jovin.*: « Refert Seneca, cognovisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fasciâ uxoris pectus colligabat, et ne puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat, potionemque nullam nisi alterius tactam labris vir et uxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improvida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insaniat. Unde et Xystus in Sententiis: Adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præcepta feretur in coitum. »

Hæc Ethices naturalis naturalia sunt præcepta; unde eadem tradiderunt Gentium sapientes. Cato

senior objurgans summam uxorum Romæ licentiam et potentiam: « Omnes, inquit, homines uxoribus dominantur: nos omnibus hominibus, nobis autem uxores; » hoc modo colligens uxores esse rerum omnium dominas. Ita ex Plutarcho in *Apophth.*, Antonius in *Melissa*, part. II, serm. 34. Rursum Cato apud Livium lib. XXXIV, monet viros, ne uxores sibi æquari sinant: « Ex templo enim, inquit, simul ac pares esse cœperint, superiores erunt. Proinde date frenos impotentis naturæ, et indomito animali; desperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. » Sic Salomon permittens mulieres sibi dominari, ab eis protractus est ad adorandum idola. Sic Adam se subdens Evæ, se et omnes posteros perdidit. Sic Hebræi fornicantes cum Madianitis, ab eis impulsus sunt ad colendum Beelphegor, *Numer.* xxv. In quem locum Origenes: « Captivantur, inquit, Israelitæ, non ferro, sed luxu; non virtute, sed libidine. » Ideoque vindicta divina in eos desæviit, uti ibidem narratur.

Quocirca apte Ægyptii, teste Horo Apoll., muliebris in virum dominatus dedecus et noxam representarunt hieroglyphico viperæ; mas enim viperæ in congressu cum femina, caput in os ejus inserit; unde illa delectatione venerea acta in rabiem, caput maris demordet, eumque perimit, teste Plinio lib. X, cap. LXII, Aliano lib. IX, cap. xxxi, et Galeno *De Theriaca ad Pison*. Simili enim modo vir uxori se subjiciens, sinit ab ea sibi caput, id est dominium, ac non raro vitam abscindi. Mulieris ergo lacrymæ, quibus virum sibi subjicit, sunt lacrymæ crocodili, quibus, scilicet, ipse cranium hominis emollit et scindit, ut cerebrum ejus devoret; simili enim modo mulier suis lamentis cerebrum homini eripit, eumque sibi objicit et dementat. Talis fuit Dalila Samsoni, Xantippe Socrati, Omphale Herculi. Pittaci Mitylenæi, qui unus fuit e septem Græciæ sapientibus, gnome exstat: « Uxori dominare. » Cornelius Tacitus, lib. *De Moribus Germanor.*, refert apud Sithonas feminas dominari: in quo, ait, non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. « A muliere dominari, summum est viro dedecus, » ait Philo apud Antonium in *Melissa*, tomo II, serm. 34. Quin et Isaias cap. III, 12, ingenti probro Judæis vertit, quod « mulieres dominantæ sunt eis. » Plutarchus in *Præceptis conub.* cap. v: « Quæ malunt, inquit, stolidis viris imperare, quam parere sapientibus, similes illis sunt, quæ ducera potius volunt cæcos, quam intelligentia visuque præditos sequi. » Ergo viri tales sunt despicabiles, uxores pariter contemptibiles. Vide Tiraquellum leg. I *Conub.*, num. 49 et seq., unde nam. 26, ex Donato ait, uxorem dici ab ungendo, eo quod olim maritum lavare et ungere solerent, quasi viri famulæ, non dominæ.

3. NE RESPICIAS MULIEREM MULTIVOLAM, NE FORTE INCIDAS IN LAQUEOS ILLIUS. — « Multivolam, » id

est meretricem, quæ multos vult amasios. Alii « multivolam » interpretantur, ad multorum concupiscentiam evolantem; hæc enim græce vocatur *ἐπιζωμένη*, quæ, scilicet, amat multos *ἐταίρους*, id est socios, procos et amasios; *ἐταίρα* enim est socia, amica, meretrix. Noster videtur legisse *ἐπιζωμένην*, per e, non per αι, ab *ἐταρος*, q. d. Quæ alicui et varios amat: quod eodem redit. Græca ergo sic habent: *Ne occurras mulieri meretrici, ne forte incidas in laqueos illius*; clarius Tigurina: *Mulieri meretrici ne te de obviam, etc.* Syrus: *Ne converseris cum meretrice, ne cadas in retia ejus*. Mulierem hanc multivolam, ejusque laqueos graphice depingit Salomon *Proverb.* VII, vers. 10: « Occurrit, inquit, illi (juveni) mulier ornata meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur, » et quæ sequuntur.

Tropologice, mulier multivola est concupiscentia: hæc enim instar mulieris, muliebria habet desideria, multaque vult et concupiscit, adeoque est insatiabilis, ac semper dicit: « Affer, affer, » *Prov.* xxx, 15. Quare ut eam effugias, noli in eam respicere, quia, sicut species mulieris, ita et concupiscentiæ est illecebrosa, mentemque infatuat et ad se rapit. Causas varias dedit *Thren.* cap. I, 8.

Rursum mulier multivola est hæresis, et hæreticorum synagoga, quæ per diversos errores volitat, ait Rabanus et ex eo Glossa.

4. CUM SALTATRICE NE ASSIDUUS SIS, NEC AUDIAS ILLAM, NE FORTE PEREAS IN EFFICACIA (illecebrosi saltus et cantus) ILLIUS. — Jansenius contendit legendum, cum psaltrice; Græca enim habent, *μετὰ ψαλλούσης*, id est, cum psallente. Alii, cum *fidicina*, id est, ea quæ ludit canitque fidibus. Unde Syrus, *cum cantatrice ne familiaris fias, ne perdat te fabulis suis*; Vatablus, *cantatricem mulierem ne frequentes, ne forte conatibus ejus capiaris*; alii, *cum fidicina ne assuesce, ne capiaris artibus ejus*. Verum Biblia Romana et cætera Latina, æque ac S. Cyprianus mox citandus, constanter habent, *cum saltatrice*; unde videtur. Interpret noster, qui antiquus est, in vetustis codicibus legisse, non *ψαλλούσης*, sed *ἀλλούσης* vel *ἀλλομένης*, unde Latinum *saltantis*; aspiratio enim græca in litteram Latinam s vertit solet. Ratio est: nam feminae doctæ ad numeros saltare, valde virorum animos movent, et in sui amorem illicunt suis tripudiis et choreis, uti filia Herodiadis rapuit Herodem omnesque convivas; adeo ut pro mercede ei dimidium regni offerret, imo caput S. Joannis Baptiste; olim enim ars saltandi fuit mirabilis, et mire illecebrosa, adeo ut saltatrices admiratione et amore suos suspenderent spectatores, teste Rhodigino lib. V, cap. III. Adde choreæ hæc fiunt ad numeros et cantum tibiarum,

testudinis, clavicymbali, etc., quibus ad deicias musica vocum et cantus adjungitur, ut numerosa sit harmonia; quin et ipsæ saltatrices illecebrosæ saltando canere solent, ut tam cantu quam saltu instar Sirenium dementent et rapiant animos juvenum, juxta illud Virgilio VI *Æneid.*:

Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.

Et Tibullus lib. I:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu;
Movit et ad certos nescia membra modos.

Et hoc est, quod subdit Siracides: « Nec audias illam, ne forte pereas in efficacia, » Græce *ἐπιζωμένην*, id est, in exercitiis, vel artibus. Ita Complutens.; aut, ut Tigurina, *ἐπιζωμένην*, id est, concubitus; vel, ut Romana vertunt, *tentationibus ejus*. Porro, quanta sit vis et tentatio cantus femine, docet Claudianus, lib. I *De Raptu Proserp.*:

Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu, etc.

Et Ovidius, lib. XIV *Metamorph.*:

Unde canens dicta est sylvas et saxa movere;
Et mulcere feras, et flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat,
Quæ dum feminea modulatur carmina voce, etc.

Vere Seneca in *Proverbiis*: « Blanditia, inquit, non imperio, fit dulcis Venus. » Et: « Habet suum venenum blanda oratio. » Denique præclare S. Cyprianus *De Singul. Cleric.*: « Mulier, inquit, nunc detegit membra, nunc fatigata jactatur, aut in risum aliquando dissolvitur, nunc blanditias exhibet, et quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur aut canere. Cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Contra quam Salomon sic nos cautos efficit: Cum saltatrice noli assiduus esse, nec audias eam, ne forte pereas in efficacia ejus. » Et rursum: « Avertite, it, occasiones impudicas. Amputanda sunt omnia vobis, quæcumque igniferi fomitis sulphurantibus flammis candens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla majora confluet incendia, quod Salomon manifestat dicens: A scintilla una augetur ignis. » Periclitatur navis, si vel scintilla in vas pulveris tormentarii incidit; et securum se censebit adolescens, qui inter ardentissimas gehennæ prunas, mulierum scilicet et libidinum irritamenta, discurrit? Ibidem S. Cyprianus hæc castitati dat attributa, vel elogia: « Castitas est munimen invictum sanctimoniam, fortitudinis firmitas, animæ victoria, ubertas gloriarum, pax secunda virtutum, de bellatio inquieti bellorum, honestatis portus, ignominiam naufragalis locus, lorica pudoris, corruptionis exitium, dissolutionis occisor, armatura virium, acquisito triumphorum, requies salutis, vita spiritus, status qualitatis angelicæ. » Nazianzenus in *Distichis*: « Ignis stipulæ propinquus, parum ut res: nihilo tutius, o monache, tibi fuerit mulierem virginem contubernalem habere. »

5. VIRGINEM NE CONSPICIAS, NE FORTE SCANDALIZERIS (in ruinam luxuriæ traharis) IN DECORE ILLIUS. — Romani ex Græco legunt, in *decoribus ejus*. Virginis enim multiplex est decor: primus, ætatis florentis; secundus, sexus feminei; tertius, virginitatis; quartus, elegantiam vestium et cultus Vatablus vertit, *ne contempleris virginem, ut noxam ex pretioso ejus cultu contrahas*; alii, *ne quando impingas in concupiscentiis ejus*; Syrus, *virginem ne attente inspicias, ne condemneris* (id est debitor, aut reus fias) *in dote ejus duplo*; ne, scilicet, si ex aspectu labaris in fornicationem cum ea, et pretium virginitatis ablata ei restituere, eamque uxorem ducere et dotare debeas, juxta legem *Exodi* xxii, 16 et 17, et *Deuter.* xxii, 29. Quocirca sapienter Job cap. xxxi, 1: « Pepigi, ait, fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » Quin et Alexander Magnus noluit videre Darii filias jam a suis captas, dicens: « Non committam, ut cum viros vicerim, a mulieribus vincar. » Ita Plutarchus in *Alexandro*. Præclare Nazianzenus in *Præceptis ad Virgines*:

Virgo sis oculis, sis ore atque auribus ipsis.

Et inferius:

Christus amore tui flagrat: ne forma virilis
Te premat, et medio sedem sibi pectore figat.

Idem ad Seleucum, Iambico 3:

Quodcumque labem visui accersit, fuge,
Oculos ut ipse virgines serves tuos.

Beda in *Proverb*: « Oculi petulantes, ait, cordis luxuriosi sunt proditores. » Rursum Nazianzenus in *Distichis*: « Si procul a femina abfueris, manet scintilla; si autem vitæ commercium cum ea habeas, ex parvo vento magnum incendium excitabis. » Et paulo superius: « Virgo, et oculis et abditis corporis partibus virgo esto, nec marem ullum curatorem tibi asciscas. Christum amicum habes; viros omnes aspernare. Quid tibi mortiferum toxicum intus habere opus est? Equidem in hac canitie corpus lanio, oculos premo, diurnis nocturnisque curis ter miseram animam conficio, ut eam a flamma extraham: ne sic quidem tamen, nisi admodum ægre, corpus in potestate teneo. Quanam ergo fronte tu et ætate florens, et carnes elephante ipso latiores excitans, postea mihi delicias facis, perinde atque egregiam quadam puritate præditus, atque amasiam tuam spirituali duntaxat amore complectens? O aversandum amorem, quem Christus fastidit! Monachi, monasticam vitam aucite. Nam, si cum amasiis vitæ consuetudinem habeatis, non jam monachi estis. Virgo, Christum habes immortalem adiutorem, sponsum desiderabilem, erga celestem formam tuam zelotypum. »

Porro, nihil est quod ita libidinem accendat ac decor et forma. Ita Tertullianus *De Cultu femin.*, sub initium: « Decorem, inquit, naturaliter invi-

tatorem libidinis scimus. » Leucippus apud Antonium in *Melissa*, tom. I, cap. LX: « Pulchritudo, ait, acutius, aut, si malis, velocius vulnerat quam sagitta, et per oculos in animum defluit. » Et Domitianus Imperator: « Decore, ait, nihil gratius, nihil et brevius. » Quocirca Horatius lib. IV *Carm.*, ode 13, pulchritudinem appellat faciem, quod ad amorem accendat. Imo Donatus S. Hieronymi præceptor: « Veteres, inquit, ignem et calorem, quemdam quasi fervorem, dixerunt formam. Et hinc fornaces, forci pes, formam et formosos, ex quibus ignis amoris exoritur. » Et Festus Pompeius: Forma, ait, significat modo faciem cujusque rei, modo calidum, ut cum exta, quæ dantur, deforma appellantur. Servius vero in lib. VIII *Æneid.*: Forma, ait, dicitur a forvo, quod calidum significat, quod et Nonius Marcellus autumat. Quocirca Theocritus apud Laetium in *Vita Aristotelis*, formam vocat « eburneum detrimentum, » quod grata sit aspectui, sed multorum incommodorum causa. Socrates vero ibidem, formam vocat « exigui temporis tyrannidem. » Idcirco sapienter Protagoras apud Antonium in *Melissa*, tom. II, cap. XXXIII: « Uxorem, inquit, temperantem quærito, non formosam. Ille enim est thesaurus, qui surripi non potest; hæc autem animi opinio, sive persuasio. » Igitur, sicut ignis adurit ligna, sic aspectus corda. Aspiciat sol speculum politum, mox flamma, quæ res objectas exurat, surgit in speculo. Aspiciat vir feminam pulchram, surgit illico flamma amoris in viro. Unde Fotis meretrix apud Apuleium lib. II: « Discede, ait, miselle, a foculo, discede; nam, si te vel modice meus igniculus afflaverit, ureris intime. »

Quocirca S. Basilius, lib. *De Virginitate*, docet, virgini summe custodiendos esse oculos, ne ullius viri vel feminæ species menti infigatur: aut, si infixæ sit, omni studio accersendo alias et contrarias species, omnino deleatur. Singularis in hac re fuit S. Hugo, Gratianopolis Episcopus, per 52 annos, qui cum crebro primariorum feminarum confessiones exciperet, ita oculos ab eis avertebat, ut nullam de facie, si occurreret, cognosceret, uti habet ejus Vita.

Hinc et Philosophi remedium amoris docent esse absentiam, ne videas amicam: sic enim ejus oblivisceris, eamque e mente et phantasia erades. Ita Propertius lib. III, *eleg.* 20:

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellæ;
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Imo, ut ait Virgilius lib. III:

Uritque videndo
Femina,

instar speculi orbiculæ, radiis solis accensi. Quocirca apposite ad culpam Zaleucus, Loerensium legislator, adulteris oculos erui sanxit, ait

Plutarchus V *Sympos.*; cumque ejus filius in adulterium incidisset, ut penam non mitigaret, sed divideret, unum oculum sibi, alterum filio erui jussit. Oculi enim sunt in amore duces, et, ut ait S. Petrus *epist.* II, cap. II, 14, « pleni adulterii, et incessabilis delicti. » Oculos autem secutur imaginatio, imaginationem cor et amor. Unde Job cap. XXXI, 7: « Si secutum est, inquit, oculos meos (Hebr. *si abiit post oculos*) cor meum; » et *Thren.* III, 51: « Oculus meus deprædatus est animam meam. » Ubi plura hæc de re dixi. Hinc Plato censuit visionem fieri, non recipiendo, sed emittendo spiritus visivos, illosque amorem accendere. Aristoteles vero, licet censeat visionem fieri receptione specierum, non emissionem, tamen notat oculis mulierum, quæ duplicem habent pupillam, inesse virus.

6. NE DES FORNICARIIS ANIMAM TUAM IN ULLO. — « Fornicariis, » id est, meretricibus; Græcæ enim est, *πορνεία*. *Dare animam* est animum adjicere, seipsum addicere, et quasi totum dedere: quo enim se adjicit anima et voluntas, eo adjicit se totus homo: animam enim sequitur corpus, et voluntatem sequuntur cæteræ potentiae, sicut servus herum. Gaudet Siracides hac phrasi, ut patet vers. 2. Dicit, « in ullo, » id est, in ulla re, quia qui in una re, v. gr. in aspectu, adjicit animum ad meretricem, mox adjicit et vocem et linguam et mentem, totamque animam: perinde ut scintilla corripens stipulam unam, mox proserpit, et cæteras omnes depascitur.

NE PERDAS TE (quia fornicatio enervat corpus, famam commaculat, conscientiam æternæ mortis ream efficit) ET HEREDITATEM TUAM, — quia meretrix est honorum charybdis et vorago, quæ divitias, licet ingentes, absorbet, ut patet in filio prodigo, qui opes suas cum meretricibus absumpsit. Græcæ tantum habent, *ne des scortis animam tuam, ne perdas hereditatem tuam*; Tigurina, id est Vatablus, *ne appellas animum tuum ad meretrices, ne perdas possessionem tuam*; Syrus, *ne des meretrici animam tuam* (id est, teipsum); *ne pessumdes hereditatem divitiarum tuarum, et ignominia afficiaris in plateis civitatis, et scribaris in offensa debitorum*. Quæ ultima verba Græcus et Noster dirimunt, referuntque ad versum sequentem. Si ergo semel animum applicueris ad meretricem, illa dementabit te, ut non nisi de illa cogites, loquaris, somnies, ejusque fias servus et mancipium, ut illa dominetur tibi tuisque opibus. Huc facit proverbium Hebræorum initio Gemaræ in *Suta*: « Quod erucæ sesamis (vel oleribus), id meretrix est in domo; » sicut enim eruca sesama vel olera, in quibus degit, vastat: sic meretrix domum, in qua habitat, consumit, ac miserum virum devorat, estque quasi teredo ossium ipsius.

Præclare S. Basilius, serm. 2 *In Divites avaros*: « Nullus, ait, concupiscentiæ muliebri salis est thesaurus: non si fluminibus fluxeris. » *Lais*

Corinthia meretrix pro unius noctis usura decem millia drachmarum deposebat; quod audiens Demosthenes: « Ego, inquit, tanti penitere non emo, » teste Gellio lib. I, cap. VIII. Flora quæstu corporis immanes opes congressit, quarum populorum Romanum hæredem scripsit: unde a Romanis inter deas relata, etiamnum forum, quod vulgo Floræ nuncupatur, obtinet. Vide S. Augustinum lib. II *De Civit.* cap. XXVII. In dies videmus meretrices esse vortices patrimoniorum, Seyllas opum, Charybdes fortunarum, ac ditissimos per eas exhauriri, fierique pauperrimos, et ad indusium redigi.

7. NOLI CIRCUMSPICERE IN VICIS CIVITATIS, NEC OBERAVERIS IN PLATEIS ILLIUS. — Quia hæc curiositas vagandi et circumspiciendi, vagi cordis est indicium, et libidinis incentivum; necessario enim incurrit in species mulierum, quæ ejus oculos tenent, mentemque rapiunt. Sicut enim impudicus oculus, ait S. Augustinus, impudici cordis est nuntius: sic incustoditus oculus incustoditi cordis est nuntius. Vide apud eum plura lib. *De Honestate mulier.* tomo IX, et apud S. Basilium tract. *De Virginitate*, qui egregie hanc rem pertractat. Docet ergo Siracides non vagis, sed directis ante se oculis esse incedendum, rectaque pergendum eo quo tendis. Hac de causa vitata est Dina filia Jacob a Sichem, quod curiosius per plateas urbis vagaretur et circumspiceret, *Genes.* XXXIV, 1. Græcæ pro *in plateis*, habent *in desertis*, vel in locis solitariis; ibi enim incitium peccati est solitudo, cum quis putat se a nemine videri, ideoque sine pudore et infamia posse explere suam cupiditatem. Unde Tigurina: *In vicis urbis ne circumspectes, nec in secretis ejus locis oberres.*

Symbolice, quid plateis frequentibus cum solitudine infrequenti? Respondet Clemens Alexandrinus lib. III *Pædag.* cap. IV: « Est solitudo, etiamsi sit turba incontinentium, ubi non est homo pudicus. » Magis vero ad litteram Beda in *Proverbiis*: « Non vivas aliter, inquit, in solitudine, aliter in foro. »

8. AVERTE FACIEM TUAM A MULIERE COMPTA (Græcæ, *εὐμόρφου*, id est formosa, ob formam tum naturalem, tum ascititiam per ornatum comæ et vestitium. Unde sequitur): ET NE CIRCUMSPICIAS SPECIEM ALIENAM. — Tigurina, *ne contempleris pulchritudinem alienam*. S. Nazianzenus, orat. *Adversus mulieres ambitiosius se ornantes*, docet eas quæ fuco gaudent, ut plurimum esse impudicas. « Ferunt, inquit, insolentem pavonem, cum curvato collo, pennisque gemmantibus circumum efficit, feminas clangore suo ad venerem invitare. Eodem modo admodum mirabor, si tu aliam ob causam formam pingas, quam ut nitidorum et salacium virorum oculos ad te convertas. » Mulier ergo fucata est idolum Veneris, et Venus colorata. Vide Tertullianum lib. *De Cultu femin.* cap. XII, ubi comptas vocat, « infelicissimas publicarum libi-

dinum victimas, » quia « lenocinia formæ, nunquam non prostituto corpori conjuncta et dedita. » Et S. Cyprianus, lib. *De Habitu virginum*: « Ornamentorum, ait, ac vestium insignia et lenocinia fucorum, non nisi prostitutis et impudicis feminis congruunt, et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. » Notat S. Chrysostomus, hom. 3 *De verbis Isaia:* « Non dixit, inquit, Ne videas: id enim nonnunquam fit ultro; sed, *μη περιβλέπων*, id est, ne circumspicias illam, tollens ne studio animadvertamus, ne curiose intuearis, ne contemplationi immoreris. » Et D. Augustinus in *Regul.* I, cap. XXI, ad finem primi tomi: « Oculi, inquit, vestri, etsi jaciuntur in aliquam feminarum, defigantur in nulla. » Et paulo post: « Quia sicut scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum. » Quamvis hic locus, neque in Vulgata reperitur, neque unde desumptus sit ab Augustino explicetur. Huc facit illud *Thren.* III, 51: « Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. » Ubi profunde S. Hieronymus, vel potius Rabanus citans illud *Job.* cap. XXXI, 1, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, rationem reddit*: « Ne prius, inquit, incaute aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Nam semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Intueri non debet, quod non debet concupisci. Ut munda mens in cogitatione servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores, ad culpam. » Hanc Jobi cautionem admiratus D. Chrysostomus serm. *De Joseph Patriarcha*, in I tom.: « Job, inquit, diabolum quidem videns accedentem, non fugit; sed mansit, sicut leo, viribus fidens: virgine autem visa non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed statim secessit. » Hanc quoque causam innuit Siracides, dum subdit:

9. PROPTER SPECIEM MULIERIS MULTI PERIERUNT (Græcæ, *ἐπιβλήσαντες*, id est, erraverunt, seducti et decepti sunt), ET EX HOC CONCUPISCENTIA QUASI IGNIS EXARDESCIT. — Amoris enim objectum est pulchrum. Sicut ergo bonum rapit voluntatem, verum rapit intellectum: sic pulchrum rapit amorem et affectum. Vide dicta vers. 5. Siracidi succinit Ben-Sira *Alphabeta* 2, litter. *Beth*: « Bellæ mulieris specie multi pessumdati fuerunt, et robusti omnes interfecti ab ea. » Et litter. *Daleth*: « Abstrahere carnem tuam a muliere gratiosa, tanquam a carne prunarum, » *q. d.* Caro mulieris gratiosæ, non tam caro esse videtur, quam prunæ accensæ, quæ ignem concupiscentiæ in spectantibus accendunt. Et litter. *He*: « Absconde oculos tuos a muliere gratiosa, ne capiaris reti ejus. » Nam oculi sunt proxenetæ peccati: sicut enim proxeneta mediator est inter emptorem et venditorem ad ineundum contractum: ita oculi mediatores sunt cordis et mulieris speciosæ, illudque cum hac conciliant et colligant. Rursum rete feminarum est forma, quo potentissimos et sapien-